

nos *speciem*), non potuit animus haec in corpore inclusus agnoscere: cognita attulit. Ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur. Neque ea plane videt animus, quum repente in tam insolitum tamque perturbatum domicilium immigravit; sed quum se collegit atque recreavit, tum agnoscit illa reminiscendo. Ita nihil aliud est discere, nisi recordari. Ego autem majore etiam quodam modo memoriam admiror. Quid est enim illud, quo meminimus? aut quam habet vim? aut unde natam? Non quaero, quanta memoria Simonides fuisse dicatur, quanta Theodectes, quanta is, qui a Pyrrho legatus ad senatum est missus, Cineas, quanta nuper Charmadas, quanta, qui modo fuit, Scepsius Metrodorus, quanta noster Hortensius: de communi hominum memoria loquor, et eorum maxime, qui in aliquo majore studio et arte versantur: quorum quanta mens sit, difficile est existimare; ita multa meminerunt. Quorsum igitur haec spectat oratio? Quae sit illa vis et unde, sic intelligendum puto. Non est certe nec cordis, nec sanguinis, nec cerebri, nec atomorum. Anima sit, ignisne, nescio: nec me pudet, ut istos, fateri nescire, quod nesciam. Illud, si ulla alia de re obscura affirmare possem, sive anima, sive ignis sit animus, eum jurarem esse divinum. Quid enim? obsecro te, terrane tibi aut hoc nebuloso et caliginoso coelo aut sata, aut concreta videtur tanta vis memoriae? Si, quid sit hoc, non vides: at, quale sit, vides. Si ne id quidem: at, quantum sit, profecto vides. Quid igitur? utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo tamquam in aliquod vas ea, quae meminimus, infundantur? Absurdum id quidem. Qui enim fundus, aut quae talis animi figura intelligi potest? aut quae tanta omnino capacitas? An imprimi, quasi ceram, animum putamus, et memoriam esse signatarum rerum in mente vestigia? Quae possunt verborum, quae rerum ipsarum esse vestigia? quae porro tam immensa magnitudo, quae illa tam multa possit effingere? Quid? illa vis, quae tandem est, quae investigat occulta, quae inventio